



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An consuetudo decennalis, vel quadragenaria interrumpatur per vnicum actum? Ex part. 6. tract. 5. res. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. IV.

An tempus decem annorum sufficiat ad consuetudinem inducendam, non solum inter presentes, sed etiam inter absentes? Et an idem tempus sufficiat, si Princeps sit absens? Et adducitur distinctio inter leges Canonicas, & Civiles: Ex p. 6. tr. 5. Ref. 3.

§. 1. Affirmatiue respondet Suar. de legib. lib. 7. c. 18. n. 1. sic ait. Est tamen notanda distinctio inter leges Canonicas & Civiles, quam omnes Auctores su- practati tradunt inam in civilibus idem tempus suffi- cit ad legem abrogandam, quod ad inducendam, sci- licet decem annorum. Ratio est, quia ius civile in hoc distinctionem non facit, sed ad utrumque indefinite re- quirit tempus longum, ut patet in d. l. de quibus; tem- pus autem longum in eodem iure est tempus decem annorum, ut supra dictum est, & expressius habetur in §. 1. Insti. de vsucap. Neque hic fit distinctio de tempo- re inter absentes & presentes propter rationem supra tractatam, quod ad necessitatem huius prescriptionis semper supponitur ignorantia Principis: nam si Prin- ceptus sciat, non est necessaria prescriptio ad presentem effectum; respectu vero Principis ignorantis imperti- nens est absentia vel presentia: & ideo idem tempus indistincte postulatur. Ita Suarez.

2. Sed adversus illum nominatim insurgit Tannerus tom. 2. disp. 5. q. 7. dub. 1. n. 8. ubi sic asserit. Aliqui addunt ad prescriptionem contra ius Canonicum re- quirere quadraginta annorum spatium: contra ius civile decem inter presentes; viginti inter absentes. Quam- vis Suarez vinctim decem annis in civilibus legibus contentus sit, ideoque eam distinctionem de absentia vel presentia tanquam impertinentem reiciat, sed id asserit sine firma ratione. Hæc Tannerus, Cui addit Syl- vestrus verb. Consuetudo, quest. 7. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 17. quest. 8. Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 77. & alios. Et pro opinione Tanneri contra Suarez potest hæc ratio adduci, quia longum tempus inter presentes esse decennium, inter absentes vicennium tradit lex vltima Cod. de prescrip. longi. temp. ergo cum Legislator ab- sens est, requiritur vicennium ad prescribendum ad- versus illum: non semper igitur consuetudo constituit legem, vel abrogat decennio.

3. Sed ego puto utramque sententiam probabilem esse, sed magis contra Tannerum adhaereo sententiae Suarez, quam etiam tuetur Cæstrus Palau tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 1. §. 2. num. 7. ubi citat Vasquez & Salas, quibus ego addo Ioannem Vvigers in part. 2. quest. 97. art. 3. concl. 3. n. 26. ubi sic ait. Secunda difficultas est, An idem tempus sufficiat, si Princeps sit absens? Ratio dubitandi est, quia iura definiunt tempus longum in- ter presentes quidem esse decem annorum, sed inter absentes esse viginti annorum. Responderet hæc de cau- sa nonnullos Doctores, inter quos videtur esse Sylvester verb. Consuetudo, quest. 2, requirere in absentia Principis viginti annos, siue ad legem inducendam, siue abrogan- dam: sed communis sententia tenet contrarium, quæ & vsu recepta est. Unde etiam consuetudo hæc censetur ius interpretari, ut circa prescriptionem consuetudinis in respectu ad legem sufficiat decem annorum tempus. Et fundamentum potest esse, quod hoc sit magis ex com- muni bono, & quidem quoad legis inductionem; quia expedit, quod consuetudines rationabiles, & suffi- cienti vsu probate roborentur, & vim obligandi acci- piant: accedit quod inductio talis obligationis non af- fectat præiudicium Legislatori, cum sit ex potestate eius per ius commune applicata: quare non censetur ipse hæc in parte involuntarius, & ideo non est eadem ratio

huius & prescriptionis aliarum rerum: ubi dominus absens solet pati præiudicium, & haberi tanquam in- voluntarius. Ita Vvigers & ego.

RESOL. V.

An consuetudo decennalis, vel quadragenaria interpum- patur per unicum actum? Ex p. 6. tr. 5. Ref. 4.

§. 1. SUppono cum Suarez de legib. lib. 7. c. 8. num. 24. tempus consuetudinis ad abrogandam legem non debere interrumpi. Idem respondeo ad quæsitum, unicum actum contrarium probare non obstat consu- tudinem, non obstantibus mille actibus, qui stent pro consuetudine. Ita firmavit Sacra Rota in vna Viter- biensi decursus aquarum die 15. Martij 1604. coram Gregorio XV. decis. 162. n. 9. & 15. quod etiam docet Bassæus in stor. Theol. pract. verb. Consuetudo, n. 11. Sur- dus vol. 3. consil. 293. n. 23. & 24. Scruerius de feudis, part. 10. sect. 20. n. 157. in fin. & hoc etiam ex Reginal- do, Salas, & Bonacina tradit Cæstrus Palau tom. 1. tr. 3. disp. 3. punct. 2. §. 2. n. 11.

RESOL. VI.

An in foro conscientia, ut consuetudo abroget legem, re- quiratur prescriptio aliqua temporis? Et notatur tempus sufficiens ad abolendum legem non so- lum civilem, sed etiam canonicam.

Et explanatur introducens consuetudinem adversus le- gem peccare toto tempore, quo consuetudo introducta non est.

Et notatur, quod si consuetudo viger, scienti Principe, & non contradicente, non requirit longum tempus sed suf- ficiat si bis, aut ter contra legem actum fuerit, ipseque Princeps non resistat, cum facile possit, si secus vero ig- norante Principe, & Pontifice in lege canonica. Ex p. 5. tr. 14. & Milc. 2. Ref. 62.

§. 1. SUpponendum est ex c. fin. de consuet. duobus neces- saria esse, ut consuetudo abroget ius positivum. Primum ut sit rationalis. Secundum ut sit prescripta & quoad tempus prescriptionis Basilius Pontius de maxim. lib. 6. cap. 5. num. 9. Montefinus in part. 2. tom. 2. disp. 2. q. 13. num. 225. Granada in 1. 2. controuers. 7. tract. 3. part. 2. disp. 16. sect. 1. num. 9. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 14. Valentia tom. 2. disp. 7. quest. 5. punct. 8. Sotus de iust. lib. 1. quest. 7. art. 2. & alij affirmant nullum tempus determinatum esse ad inducendam consuetudinem; sed arbitrio prudentis hoc preslandum esse, qui pro nego- tij qualitate, & pluralitate actionum extendere, vel li- mitare tempus debet. Alij distinctione vtuntur, si consu- etudo sit præter legem, vel contra legem civilem; de- cennio affirmant compleri, si contra legem canonicam, quadraginta annos expostulant. Ita Azorius tom. 1. lib. 5. c. 4. quest. 4. Molina tom. 1. disp. 77. Couarruias lib. 1. var. c. 17. num. 8. §. quarto, & alij relati à Salas de legib. disp. 19. sect. 4. & tandem Pater Suar. de legib. lib. 7. c. 8. n. 7. in fin. c. 15. n. 5. & c. 18. n. 11. Donellus lib. 1. cap. 10. Emmanuel Sæ verb. Consuetudo, n. 3. & alij asserentes consuetudinem esse legitimè prescriptam, & sufficien- tem ad abrogandam legem, si decennio perseveret, quia iura ad consuetudinem inducendam requirunt longum tempus; sed decennium est longum tempus, & infra il- lud non reputatur; ex l. vlt. C. de prescript. long. temp. & §. 1. Insti. de vsucap. ergo, &c.

2. His igitur suppositis, quæro an spatium, verbi gratia, decem annorum, ut consuetudo dicatur legitimè prescripta, requiratur in foro conscientia? & negati- uam sententiam (attendas quæro amice Lector) docet

Sup. hoc in tom. 1. tr. 5. Ref. 20. §. Deinde.

Sup. conten- to in hoc §. 1. infra in §. vltim. huius Ref. & supra in Ref. 1. §. Secunda. & in alia Ref. eius not. & ibi in §. Ter- tia. Quarta, sed quid. & §. vlt. & infra in Ref. 11. le- ge doctrinã, §. Sed diffi- cultas. & in tom. 7. tr. 1. Ref. 301. in- ter medium, & fin. vers. & in tom. 9. tr. 1. Refol. 116. §. Et miror, cum multis Deci- sionibus. Sacra Rota

